

2. Altarium confractionem, veteris Chrismatis et oleorum combustionem.
3. Sepulcrorum amotionem seu obstructionem, si loco velito.
4. Amotionem bardellarum, sedilium et aliorum impedimentorum.
5. Item profanarum imaginum aut rerum.
6. Lacerationem corporalium, purificatoriorum et rerum indecentium sine remedio.
7. Profanationem calicum et patenarum, item ecclesiarum.
8. Clausionem portarum lateralium.
9. Lacerationem missalium, Breviariorum nimis indecentium.
10. Amotionem arborum a caemeterio et locis sacris.
11. Ramorum incisionem, qui nocent parietibus ecclesiae.

En vero, quae maturius et data oportunitate temporis sunt executioni mandanda.

1. Altarium reconcinatio et bardellarum.
2. Umbellae constructio super Altare.
3. Telaria altarium lignea.
4. Septa altarium.
5. Fenestella pro urceolis.
6. Crux, candelabra et alia hujusmodi, assignato congruo spatio temporis iudicio episcopi et poena pecuniaria aut alia ad arbitrium, non autem censuris vel certe non latae sententiae nisi ex maxima causa.

Alia denique sunt, quae reservari debent, examinanda melius adhibitis etiam in consultationem doctissimis viris, peracta tota visitatione, ne diutius immorans visitator loca plus justo gravet.

Gavant. Merat. t. V. p. 67. (Ed. Venet. 1823.)

62) De Matrimonio.

In Visit. de Matr. hoc modo est inquirendum:

1. An parochi matrimonia denuncient, antequam semotis arbitris consensum mutuum contrahere volentium receperint?
2. An parochi, antequam matrimonia denuncient, recognoscant, an contrahere volentes sint legitimae aetatis, confirmati, in mysteriis fidei edocti, an consanguinei?
4. An sponsi, antequam matrimonium contrahant, invicem conversentur absque interventu parentum et consanguineorum?
4. An parochus saltem bis in anno in missis paroch. populi impedimenta matrimonii denunciet?
5. An parochi exteros vel eos, qui a dioecesi diu fuerunt absentes, absque licentia episcopi in matrimonio jungant?
6. An parochi dispensent unam vel alteram ex denunciationibus faciendis auctoritate propria absque permissione episcopi vel vicarii generalis?
7. An denunciations fieri semper diebus festis de praecepto interpolatis?
8. An parochus vel alter, qui de ejus licentia vel episcopi contrahentes matrimonio conjunxit, matrimonium describat in libro eadem die vel differat descriptionem?
9. An matrimonia contrahantur semper in ecclesia vel aliquando domi sine licentia episcopi vel Vicarii generalis?
10. An temporibus ab ecclesia prohibitis absque episcopi licentia?

(Monacell. t. I. in append. in fine et t. IV. suppl. ad I. t. post n. 267.)

63) A Metropolitano facienda.

Utrum Metrop. dioeceses suorum suffrag. possit visitare?

Vd.: Visitatio eccles. paroch. et curat. regul. (decr. Civien.); Visit. dioeces. Suffrag.

64) De missae celebratione.

Vd.: Visit. (sacristiae, presbyter., parochi, ecclesiae.)

Haec visit. hoc modo est peragenda:

1. An ad sacrum faciendum admittantur exteri absque literis dimissor. seu commendatis recognitis et approbatis ab episcopo vel ejus delegato?
2. An adsint in loco sacerdotes qui indevote, propere et irreverenter sacrum celebrent?
3. An sacrista seu rector ecclesiae permittat et admittat ad celebrandum presbyteros, qui coronam et vestem clericalem decentem et ab edictis seu constitutionibus synod. praescriptam non deferunt?
4. An in missis votivis fiant quaestus et an sacerdos novellus admittat laicos ad altare ad osculum manus, nam si iste abusus inveniatur, tolli debeat, cum pacis instrumentum seu crucem ad osculum exhibere debeat et non manus et oblationes, si quae offerri contingat, hoc fiat in medio altaris sacerdote populo obverso. (S. C. C. ap. Zerol. in praxi verb.: *Missae*.)
5. An in celebratione missarum sacerdotes utantur calicibus et patenis dissauratis, planetis attritis et corrosis, albis et amictis immundis, cingulis fractis, corporalibus commaculatis ac missalibus laceratis, vino acido vel mucido et an parati sint urceoli mundi cum pellicula saltem testacea?
6. An tabella onerum missarum in qualibet ecclesia in sacristia appensa in loco patenti retineatur?

7. An in eadem sacristia retineantur libri, non folia, quae vento rapiuntur, in quibus eadem die, qua celebratae fuerunt, per eosmet sacerdotes adnotentur missae celebratae, an servetur silentium vel potius indecentia committantur?

8. Mandet quod sacerdotes exteri, ut vagi, qui cogniti non sunt, quoties cum licentia episcopi vel vicarii admissi fuerint ad sacrum faciendum, in libro scribant se tali die celebrasse ad hoc, ut si forte falsos et fictos sacerdotes esse compertum fuerit, constare possit de corpore delicti per propriam confessionem?

9. Qui sint ministri et quae personae admittantur ad inserviendum missis?

10. An celebrentur missae de mane ante auroram vel post meridiem?

(Monacell. t. I. in append. in fine et t. IV. suppl. ad I. t. post n. 267.)

65) Modus, quando visit. ab inferiore est peragenda.

Vd.: Visitatio episcopi. (modus, incipiendo a verbis: Praedicta dicuntur tantum visitante episcopi etc.)

Index eorum, quae adduntur et omituntur visitatore inferiore visitante.

1. Dantur literae patentes ab episcopo cum ea facultate, quae eidem videbitur opportuna: exemplum dabitur infra.
2. Leguntur hae patentes literae in unoquoque loco ante actum visitationis.
3. Omittuntur ea, quae ad pontificalem spectant dignitatem.
4. Stola supra cottam indutus facit absolutionem defunctorum, visitat sanctissimam Eucharistiam, olea sacra, reliquias et Baptisterium.

5. Caetera ut in: *Visit. Episc.* (modus.)

6. Visitationi finem imponet, ut l. c.

Formula literarum patentium Episcopi pro Visitatore inferiore.

Dilecto nobis in Christo N. salutem in domino. Ut executioni earum rerum, quae a Conciliis hujus provinciae ac dioecesis et a nobis decreta sunt, consulamus: Te Visitatorem in tota Dioecesi constituimus, cum facultate mandandi, quod opus fuerit pro ejusmodi executione, etiam poenae et censuris adhibitis, informationes assumendi de negligentis et delictis, quae compereris; ac inobedientes puniendi poenitentis, multas pecuniarias, adhibitis ad usum pium, arbitrio nostro applicandis: ita tamen ut si quae graviora inciderint, Nobis aut Vicario nostro Generali reserves, omnia autem in actu redigas, prout opus fuerit, et ad nos quam primum referas. Concedimus quoque, ut ad ss. sacramenta admittere possis, qui pro paschate non fuerint admissi, si justa causa admittendi visa tibi fuerit et a nobis aut vicario nostro contra mandatum non fuerit; facultatem item absolvendi ab omnibus casibus reservatis et delegandi aliis singillatim tamen: qua in re considera, quemadmodum te geres praesertim in casibus gravioribus et scandalosis et ubi restitutio requiratur: quam auctoritatem etiam in vicarios foraneos exercere possis: Mandantes omnibus vicariis, parochis aliisque, ad quos pertinet, ut te tamquam visitatorem nostrum recipiant et procuraciones sumptusque debitos praebent, prout opus fuerit. Hae vero valeant ad.... Dat.

Gavant. Merat. t. V. p. 71. et 74. (Ed. Venet. 1823.)

66) Monasterior.

Vd.: *Visit. (eccles. par. et cur. reg.; jus etc.)*

(Episcopo non licet.)

Episcopus non potest visitare Monasteria regularium eo praetextu, quod eorum superiores sint negligentes, ut respondit sacra congr. concilii die 20. Feb. 1616. apud *Piasec. Prax. part. 2. cap. 3. art. 6. n. 32. ibi: Sac. congr. cardinal. concil. trid. interpretum censuit, non licere ordinariis locorum, monasteria Regularium eo praetextu visitare et corrigere, quod illorum superiores admoniti intra sex menses illa non visitaverint, vel correxerint, nisi eadem Monasteria vel sub commenda existant, ex decreto cap. 8. sess. 21., vel suorum ordinum capitibus non subsint, ac se in congregationes redigere neglexerint, juxta cap. 9. sess. 25. de regularibus.*

Ex Decreto Innocentii X.: *Ut in parvis, Conventus non habentes numerum sex Religiosorum Visitationi, correctioni et omnimodae jurisdictioni ordinarii loci subiciuntur.*

(Ex res. die 29. Mart. 1806. *Anagnina.*)

67) Monasterior. monial. regularib. subjectarum.

Episcopo licet.

Vd.: *Clausura monial. (Ingress. episc. occas. visitat.)*

Episcopus potest visitare monasteria monialium regularibus subjectarum in iis, quae pertinent ad clausuram, etiam inconsultis et irrequisitis earum superioribus regularibus.

Quoad talem autem visitationem debet episcopus observare decreta sacrae congregationis Concilii hac de re edita, prout referuntur ab eminentis. Petra tom. 5. comment. ad constit.

Callisti III. sect. 2. n. 143. vers.: *Resolutio*, ibi: Resolutio itidem novissima Congregationis Episcoporum et Regularium fuit in Nucerna Paganorum inter Episcopum et Moniales Ordinis Praedicatorum Monasterii exempti in dicta civitate existentis et proposita fuerunt infrascripta dubia:

I. „An Episcopus in concernentibus observantiam clausurae, toties, quoties expedire judicaverit, possit visitare monasterium monialium s. Annae subjectarum PP. Ordinis Praedicatorum?“

II. „An possit visitare earum Ecclesiam, communicatorium et crates confessarii quoad concernentia clausuram?“

III. „An possit visitare crates et moenia exteriora monasterii, sed etiam chorum interiorem, dormitoria, cellas aliaque loca pro clausurae custodia?“

IV. „An possit indutus stola supra Rocchettum et Mozzetam solum cum suis convisitatoribus ingredi et visitare clausuram monialium absque interventu Prioris et alterius cujusvis religiosi?“

V. „An Episcopus volens possit in actu visitationis habere sermonem spiritualem monialibus tam intra quam extra septa monasterii?“

VI. „An Episcopo sit per Priorisam tradenda notula nominum monialium, educandarum et ancillarum tempore visitationis?“

VII. „An possit Episcopus occasione visitationis singulas moniales et unamquamque separatim interrogare et examinare circa observantiam clausurae?“

VIII. „An tam Regulares, quibus subjectae sunt Moniales, quam etiam Saeculares, teneantur ab Episcopo obtinere licentiam alloquendi Moniales?“

IX. „An possit Episcopus insimul Superiore regulari revidere com-

Decreta authentica. Tom. III. Part. II.

puta atque recognoscere statum oeconomicum monasterii?“

X. „An censurae sustineantur in casu etc.?“

XI. „An constet de attentatis et quomodo purganda?“

XII. „An et quomodo sit providendum quoad ingressum conversarum in locum ultimo loco defunctarum in casu etc.?“

Die 7. Julii 1724 s. Congr. Episcop. et Regul. his dubiis respondit:

Ad I. usque ad X. inclusive: Affirmative.

Ad XI. Negative.

Ad XII. Providebitur post revisionem status oeconomici.

Praelati omnes saeculares episcopali ac etiam Cardinalatus Dignitate praediti nequeunt ingredi clausuram monialium etiam sibi subjectarum, nisi in casibus necessariis, uti est casus visitationis; et tunc comitati a paucis iisque senioribus ac religiosis viris.

68) Monialium claustrorum.

a) Ab Episcopo facienda.

Vd.: *Visit. eccles. par. et cur. regul.*

Aquilana.

(Conc. Tr. C. 5. S. 25. De Regul. et Monial.)

Dubia ad calcem hujus restrictus reserenda respiciunt visitationem ab Episcopo Aquilano faciendam in monasteriis monialium ordinis Coelestinatorum et quae sunt subjecta superioribus ejusdem ordinis. Cumque jura partium hinc inde circumferantur, mei muneris esse censeo innuere tantum decreta, quae in regestis hujus sacrae Congregationis invenire potui, quaeque conducere possunt ad dictorum dubiorum resolutionem.

Sacrum Concilium *sess. 25. de regul. cap. 5. in monasteriis monialium*

etiam exemptis, et quae regularibus subjecta sunt, commisit Episcopis tanquam sedis apostolicae Delegatis, ut procurarent clausuram sanctimonialium, ubi violata fuisset, diligenter restitui, et ubi inviolata est, conservari, et Gregorius XV. in sua constit. 18. bull. tom. 4. §. 2. addidit, ut Episcopi adversus inobedientes et contradictores procederent per censuras ecclesiasticas et alias poenas, et §. 4., quod regulares delinquentes circa clausuram monialium, licet sibi subjectarum, puniri possent et corrigi ab Episcopis tanquam sedis apostolicae Delegatis, et Alexander VII. in sua constitutione 153. Bull. tom. 6. Superioribus regularibus, quibus incumbit cura et regimen monasteriorum sanctimonialium, prohibuit ingressum in ea, nisi ex causa visitationis localis et hoc semel in anno et casu, quo necessitas urgeat, pluries eodem anno ingrediendi statuit, quod non ingrederentur nisi cum praesentia Episcopi dioecesani vel alterius personae ecclesiasticae ab eodem deputatae.

Acquisito per Episcopos jure delegato visitandi quoad clausuram monasteria monialium regularibus subjectarum exorta est controversia: *an liceret Episcopis visitare altaria, quibus cura animarum personarum saecularium non incumbit, aut sanctissimum eucharistiae sacramentum seu tabernaculum, in quo idem conservatur, et loca, in quibus excipiuntur confessiones personarum saecularium?* Et responsum fuit: *negative*, uti habetur ex resolutione hujus s. Congregationis impressa ad calcem Constitutionis Gregorianae in responsione ad primum dubium.

Actum subinde fuit de modo et occasione explendi dictam visitationem et interroganti de praedictis episcopo Conimbriensi s. haec Congregatio die

26. Maii 1640 lib. 14. decret. pag. 384 a tergis sic respondit: „*Sacra etc. censuit Episcopum Conimbriensem uti sedis apostolicae Delegatum potuisse quoad clausuram monasterium monialium conventus de Cellis ordinis Cisterciensis regularibus ejusdem ordinis subjectum visitare, etiam assumpto secum Vicario generali et confessorio earumdem monialium monialesque ipsas in iis, quae ad eandem clausuram pertinent, examini subicere, semotis etiam suspicione violatae clausurae ac quacunque superiorum regularium negligentia ipsisque inconsultis et irrequisitis.*“

Anno 1684 die 29. Februarii Episcopus Aquilanus monito procuratore generali Congregationis Coelestinorum supplicavit declarari: *an episcopus in visitatione monasteriorum monialium subditarum abbati Collis Madii Congregationis Coelestinorum teneatur vocare abbatem?* Sed cum instantia propter angustiam temporis non fuerit in dicta Congregatione proposita, non invento in registis, quod in posterum de ea unquam actum sit.

Die 29. Julii 1684, uti habetur lib. 34. decretorum fol. 233, instante Archiepiscopo Florentino fuerunt in sacra Congregatione proposita et resoluta dubia, quae sequuntur:

Primo: „*An Archiepiscopus seu de mandato Vicarius generalis possit visitare sanctissimum sacramentum, olea sacra, confessionaria et sepulturas in Ecclesiis monialium regularibus subjectarum?*“

Secundo: „*An valeat easdem moniales communicare?*“

Tertio: „*An possit ingredi earumdem monialium clausuram cum pluviali et stola?*“

Quarto: „*An omnes moniales praefatae teneantur processionaliter cum*

cruce et cum cantica „Benedictus Dominus“ obviam ire Vicario ingredienti et visitare volenti clausuram?“

Quinto: „*An in visitatione et ingressu clausurae teneantur Vicarii generales secum ducere priorem et confessorium dictarum monialium?*“

Ad haec autem dubia sic responsum fuit: *Ad primum* videlicet: *Negative*, nisi in his, quae concernunt observantiam clausurae et quatenus non adsit legitima consuetudo in contrarium.

Ad secundum: Affirmative, dummodo moniales velint.

Ad tertium, quartum et quintum: Negative.

Anno denique 1686 die 19. Januarii, uti habetur lib. 35. decret. pag. 15, instante procuratore generali ordinis Minorum de observantia fuerunt proposita et disputata sequentia dubia:

Primo: „*An Episcopus visitaturus clausuram monasteriorum monialium regularibus subjectarum teneatur ante accessum eisdem monialibus praefinire diem et horam visitationis?*“ Et huic dubio responsum fuit: *Negative.*

Secundo: „*An in Ecclesiis monialium non curatis visitare possit ss. Eucharistiae Sacramentum, oleum infirmorum, confessionaria, sepulturas et reliquias inibi existentes?*“ Et huic dubio responsum fuit: quod daretur suprainsertum decretum in causa Florentina.

Tertio: „*An in casu resistentiae monialium possit fores Ecclesiae frangere, tabernaculum violenter aperire, Ecclesiam interdiceret et ss. Eucharistiae Sacramentum ad aliam Ecclesiam transferre?*“ Et huic dubio responsum fuit: *Negative*, nisi in casibus spectantibus ad clausuram.

Quarto: „*An Episcopo monasteriorum clausuram visitare volenti dictae moniales teneantur erigere in Ecclesia exteriori vel interiori sedem cum baldachino vel solummodo sufficiat stratum praeparare in utraque Ecclesia?*“ Et huic dubio responsum fuit: Sufficere praeparationem strati.

Quinto: „*An Episcopus dictam clausuram visitaturus praeter convitatores possit pro suo libito secum ducere intus monasterium alias personas sive ecclesiasticas sive saeculares indeterminate vel in certo et praefixo numero?*“ Et huic dubio responsum fuit: Servandas esse constitutiones apostolicas, hoc est bullam 28. Gregorii XIII. Bull. tom. 2.

Sexto: „*An Episcopum dictorum monasteriorum clausuram visitaturus teneantur moniales omnes excipere processionaliter cum cruce et cantica: Benedictus?*“ Et huic dubio responsum fuit: *Negative.*

Septimo: „*An dictae moniales teneantur in ipso clausurae ingressu adornare stratum ibique genuflectenti Episcopo monialis aliqua porrigere debeat crucem deosculandam?*“ Et huic dubio responsum fuit: *Negative.*

Octavo: „*An Episcopus clausuram ingressus possit pro suo libito convocare dictas moniales omnes in choro interiori aut in alio loco et ad eas sermonem habere?*“ Et huic dubio responsum fuit: *Posse.*

Nono: „*An absolute et indifferenter visitare possit cellas dictarum monialium etiam quoad non pertinentia ad clausuram?*“ Et huic dubio responsum fuit: *Negative.*

Haec sunt praecipua, quae in registis ad materiam facientia potui invenire iisdemque praesuppositis onus erit in praesenti EE. VV. decernere:

I. An Episcopo accedenti ad visitandum monasteria monialium PP. Coelestinis subjectarum debeantur in ingressu Ecclesiae solitae honorificentiae et praecminentiae omnesque actus reverentiales ac associari tam in ingressu quam in egressu Ecclesiae a praedictis PP. Coelestinis?

II. An moniales praedictae teneantur tradere Episcopo visitanti librum regularum et teneantur similiter subire ad solitas crates onus personalis visitationis quoad clausuram spectantis?

III. An Episcopus possit solus cum suis convisitatoribus ingredi et visitare clausuram praedictarum monialium absque interventu P. abbatis Coelestinorum?

IV. An Episcopus possit visitare nedum crates et moenia exteriora praedictorum monasteriorum, sed etiam chorum interiorem, dormitoria, cellas aliaque loca pro clausurae custodia?

V. An possit Episcopus occasione sanctae visitationis habere sermonem spiritualem praedictis monialibus tam intra quam extra septa monasterii?

VI. An possit Episcopus nedum visitare altaria et capellas Ecclesiarum praedictorum monasteriorum, in quibus beneficia aliaque onera missarum insunt, verum etiam et tabernaculum cum altari majori?

S. C. C. resp.

Ad I: Affirmative quoad Ministros et Officiales Monasterii et quoad Confessarium ejusdem tantum.

Ad II: Negative quoad primam partem, affirmative quoad secundam.

Ad III, IV et V: Affirmative.

Ad VI: Negative.

Die 31. Julii 1723.

Ad dub.: 1. An Episcopo licitum sit in visitanda clausura stolam deferre ei que moniales teneantur stratum parare omnesque in ingressu obviam ire?

2. An Episcopus toties, quoties expedire putaverit, posse etiam, inconsultis Superioribus regularibus, tam clausuram quam cellas monialium in concernentibus eandem clausuram visitare adhuc praecisive tam a suspitione, quod illa violata fuerit, quam a quacumque Superiorum regularium negligentia?

3. An dies et hora explendae visitationis praefatae clausurae ab Episcopo Monialibus ante accessum et diei et notificari debeat?

4. An ejusdem clausurae visitatio ab Episcopo sine Superiorum regularium seu alicujus Religiosi interventu fieri valeat?

5. An ultra visitationem localem licitum sit Episcopo visitationem personalem cujusvis Monialis explere atque illam interrogare in attinentibus ad clausuram tam materialem quam formularem?

6. An revisio computorum administrationis dicti monasterii facienda sit ab Episcopo una cum Superiore regulari, dum bona et redditus per religiosum Carmelitam administrantur?

7. An acta necessaria pro receptione puellarum tam pro educatione quam pro earum ingressu et professione facienda sint in cancellaria episcopi, a quo danda sit licentia pro earum ingressu et professionis emissionem et ad quem spectet exploratio voluntatis earundem puellarum?

8. An Pater Commissarius velum dare possit Monialibus professis, adhuc si vigesimum quintum annum non expleverint?

9. An, et quo sit praestandus assensus alienationi bonorum monasterii, quae fit vigore Can. *Terrulas* in casu?

S. C. resp. ad 1: Affirmative; ad 2: Affirmative onerata conscientia Episcopi.

ad 3: Negative;

ad 4—6: Affirmative.
ad 7: Omnia spectare ad Episcopum;
ad 8: Negative;
ad 9: Spectare ad Episcopum;
Die 13. Mart. et 8. Maii 1751.

Ad dub.: An Episcopus Hieracensis visitare possit monasterium S. M. di Valverde in concernentibus clausuram?

S. C. C. resp.: Affirmative.
Anno 1692.

b) Modus.

Vd. n. a. p. 975.

Est inquirendum de:

- 1) Statutis.
- 2) Obedientia.
- 3) Paupertate.
- 4) Castitate.
- 5) Clausura.
- 6) Circuitu virorum intra septa.
- 7) Sacramentorum frequentia.
- 8) Chori disciplina.
- 9) Silentio in Choro.
- 10) De Dormitorio et Refectorio.
- 11) Oratione mentali.
- 12) Jejniis.
- 13) Flagellis.
- 14) Officiis et laboribus communibus.
- 15) Lectione ad mensam.
- 16) Comite in loquutorio.
- 17) Laicis sine licentia.
- 18) Cratibus apertis in Quadragesima et Adventu.
- 19) Electione Officialium.
- 20) Largitione munerum.
- 21) Victu communi.
- 22) Epistolis.
- 23) Redditi.
- 24) Oneribus.
- 25) Satisfactione.
- 26) Capitulo culparum.
- 27) Negotiis.
- 28) Rationibus dati et accepti.

Examinatur unaquaeque de:

- 1) Nomine.
 - 2) Cognomine.
 - 3) Patria.
 - 4) Professione.
 - 5) Aetate in Monasterio.
 - 6) Dote allata.
 - 7) Renunciatione.
 - 8) Choralis, an Conversa sit.
 - 9) Officio divino vel quod ejus loco.
 - 10) Munere et Officio.
 - 11) Cellis separatis.
 - 12) Exercitiis Monasterii communibus.
 - 13) Annulis.
 - 14) Comis.
 - 15) Chirotecis.
 - 16) Canibus.
 - 17) Avibus.
 - 18) Speculo.
 - 19) Instrumentis musicis.
 - 20) Crepidis saecularibus.
 - 21) De Praelata.
 - 22) Officialium moribus.
 - 23) Magistra Novitiarum.
 - 24) Vicaria.
 - 25) A secretris.
 - 26) Sacristiae Praefecta.
 - 27) Janitrice.
 - 28) Oeconoma.
 - 29) Auditricibus.
 - 30) Rotariis.
 - 31) Officialibus minoribus.
 - 33) Item de Confessario ordinario et extraordinario.
- Gavant. Merat. t. V. p. 69. (Ed. Venet. 1823.)*
- #### *Est inquirendum de:*
- 1) Clausura.
 - 2) Portis.
 - 3) Parietibus.
 - 4) Rotis.
 - 5) Fenestellis Communionis et Confessionis.
 - 6) Collocutoriis.
 - 7) Fenestris.
 - 8) De Ecclesia (vd.: *Visit. Ecclesiae.*)

Gavant. Merat. t. V. p. 66. (Ed. Venet. 1823.)

In Visit. Monial. claustr. hoc modo est inquirendum:

1. An muri clausurae habeant prospectum activum vel passivum in domos vel e domo saecularium?
2. An mansiones confessionarii monialium exemptarum sint penitus disjunctae a monasterio?
3. An moniales scribant epistolas extra clausuram absque licentia abbatissae?
4. An moniales utantur fenestrella, ubi audiuntur confessiones, ad colloquendum cum exteris?
5. An adsit in monasterio capsula communis, in qua deponantur omnes pecuniae provenientes a monialibus particularibus?
6. An admittantur exteri ad colloquendum cum monialibus absque licentia in scriptis Episcopi vel Vicarii generalis?
7. An introducantur in clausuram catuli, pueri vel puellae cujuscunque aetatis?
8. An rejiciantur electae et deputatae auscultatrices, rotariae et ostiariae?
9. An retineantur ab abbatissa libri bene compacti et cortulati, in quorum primo describantur dietim data et accepta, introitus, exitus, quo possit legaliter in fine officii rationem reddere Episcopo suae administrationis; in altero per modum inventarii descripta sint bona stabilia, census et credita monasterii cum indicatione rogituum instrumentorum; in tertio registrentur resolutiones capituli monialium, acceptationes puellarum ad habitum et professiones cum expressione diei, mensis et anni; quos libros si inveniat visitator non retineri, omnino provideat.

10. An in monasterio adsit locus separatus pro educandis et novitiis?

11. An omnes moniales sumant cibum in refectorio tempore mensae ex cucina et aerario communi paratum?

12. An moniales parent cibos exteris vel dona eisdem mittant aut recipiant absque licentia et scientia abbatissae et monasterii?

13. An admittantur regulares ad celebrandum Sacrificium in Ecclesia absque licentia Episcopi seu Vicarii generalis?

14. An omnes moniales saltem semel in mense confiteantur et sumant SSmmum?

15. An omnes intersint choro ad recitandum hora debita divina officia et orationibus et aliis pietatis exercitiis communibus?

16. An omnes quotidie audiant s. missam?

17. Quos libros retineant et legant et an tempore mensae fiat lectio aliqujus libri spiritualis et servetur silentium?

18) Visitet dormitorium seu cellas et observet, an unaquaeque monialis habeat lectum separatum?

19. An habitus monialium sit uniformis et ad praescriptum regulae?

S. C. Ep. in Caesenat. 26. Septembris 1692.

(*Monacell. t. I. in append. in fine et t. IV. 4. suppl. ad I. t. post n. 267.*)

c) A P. Provinciale facienda.

Vd.: *Clausura Monial.* (ingress. Superior regul.)

Ad dub.: An Provincialis Carmelitarum clausuram visitans ad tramites Alexandrinae Constitutionis teneatur praeventive Episcopum certiorum reddere de die et hora explendae visitationis

et quomodo hujusmodi certioratio fieri debeat?

S. C. resp.: Affirmative juxta decretum in Lycien.

Die 13. Mart. et 8. Maii 1751.

69) Notarii officium.

Omnia, quae visitator ordinaverit, decreverit et adnotanda esse censuerit, per Secretarium sive Notarium visitationis fideliter et integre in libro referenda erunt, quia libri hujusmodi plene probant, ut dixit *Rota* cor. Dunoz. Jun. decis. 61. n. 8., Panimol. decis. 10. n. 12. et alii adducti per Romaguer ad Synod. Gerund. l. 1. t. 1. c. 1. n. 6.

Vd.: *Visit. localis et mater. person.*; *Visitatio* (finis; decreta etc.)

Index et Ordo describendis totius visitationis a Notario.

1. In actu visitationis scribat celeariter in foliis eo districtiori modo, quo potest et nihil omittat, praesertim decretorum, quae cursim quandoque fiunt a visitatore.

2. Relaturus deinde in librum eam dividat in duas partes, cum his titulis: *Visitatio Civitatis, Dioecesis.*

3. Subdividat quamlibet partem in quinque partes. In prima describatur visitatio localis. In secunda visitatio personalis. In tertia decreta omnia. In quarta rationes dati et accepti, cum redditibus locorum piorum et confratrum. In ultima acta judicaria scribantur contra delinquentes seu debitores locorum piorum et ejusdem.

4. In *visitatione locali* scribatur accessus visitatoris, quo die, mense et anno, quibus comitibus, quo modo receptus, quae singillatim egerit usque ad visitationem ipsam locorum: quae describetur ordine, quo facta est in *Visit. Episcopi* (modus).

5. Si quae decreverit et exequutus fuerit visitator, statim ex iis, quae in: *Visitatio* (localis et mater.), ibidem notet, si non executioni mandatum fuerit, referatur in 3. part.

6. *Visitatio personalis* eodem ordine, quo in: *Visit. personalis* describatur.

7. In tertia parte scribantur decreta localia et personalia ordine locorum servato in visitatione locali, addito spatio temporis et poena.

8. In quarta parte reservetur omnis ratio redditu administrationum locorum piorum, ordine, quo supra.

9. Ultima pars continebit acta judicialia, citationes, monitoria, sequestra, examinationes testium et actu judiciales sive civiles sive criminales visitationis.

10. Exemplum decretorum cuique loco visitato relicto mandabitur Recitori, ut praeter eadem decreta scribat in libro ad hoc deputato, ne folia pereant, quod accidere facile potest.

11. Deberent etiam in libello separato seu in fine cujusque loci visitationis localis procuraciones notari, ad posterorum informationem.

12. Demum ea etiam notari, quae ad Sacramentum Confirmationis, benedictiones et rerum consecrationes spectant, eo loci, quo peracta sunt in eadem visitatione locali.

13. Notarius diligentior in fine visitationis civitatis seu dioecesis representabit statum civitatis seu dioecesis distincte.

14. Fidelem et sinceram totius visitationis seriem et acta, ut patiat Notarius desiderari; libris enim visitationis plena fides praestatur.

Gavant. Merat. t. 5. p. 70. (Ed. Venet. 1823.)